





DISPUTATIO MEDICA
INAVGVRALIS
DE

17
1670 2 2
PARACENTESI

IN HYDROPE

Q V A M
DEO FAVENTE

CONSENSV ET AVCTORITATE AMPLIS-
SIMI MEDICORVM IN INCLVTA ACADE-
MIA JVLIA ORDINIS
PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO

DN. HENRICO MEIBOMIO

MED. DOCTORE AC PROF. PVBL. FA-
CVLTATIS MEDICÆ HODIE DECANO SPE-
CTABILI NEC NON ARCHIATRO
GVELPHICO

DN. PRÆCEPTORE, PROMOTORE AC HO-
SPITE SVO ÆTATEM VENERANDO
PRO LICENTIA

SVMOS IN ARTE MEDICA HONORES ATQVE PRIVILE-
GIA DOCTORALIA RITE CONSEQVENDI
PVBLICÆ ET SOLEMNI DISQVISIONI SVBICIT
IN MAGNO JVLE O

JOHANNES CONRADUS AXT

ARNSTETO-THÜRINGVS
HORIS ANTE-ET POMERIDLANIS
AD DIEM XXII DECEMB.

HELMSTADT,

Typis JACOBI MÜLLERI, A. MD LXX.

Müller



I. N. S. S. T.

DE

PARACENTESI IN HYDROPE.

THES. I.



Vacunque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat: qua ferrum non sanat ea ignis sanat: qua ignis non sanat, ea incurabilia putare oportet: ait Hippocrates sive alius Autor Aphorismorum sect. iix. Aphor. 8. Tria nempe sunt, quibus Medicus ægrotantibus auxilium potest ferre, Dieta, Pharmacia & Chirurgia. Multi morbi solâ curantur diætâ; multi etiam curantur medicamentis: sed aliquando hæc duo non sufficiunt, & chirurgia in auxilium vocanda est. Illa autem varios modos, variaque instrumenta habet, quorum opera finem suum assequi intendit, qui itidem non unus est. Nam vel partes disjunctæ conjungendæ iterum sunt, vel præter naturam coactæ disjungendæ, aut quædam à corpore auferenda, aut exco extrahenda, uti pluribus apud Chirurgos docetur. Mihi impræsentiarum reliquis missis lubet pluribus considerare illam Medendi rationem, qua Chirurgica manu Hydropticis aquâ subducitur. Παρὰ τὴν χειρὸν nunc operationem

A 2

nem

nem illam vocant, quia per punctiōnem hodie fit, secus
ac olim, unde apud Hippocratem non nisi sectionis men-
tio fit.

II.

Denotat autem vox illa Græca punctiōnem seu com-
punctiōnem quandam, usurpaturque non de hac tantum,
sed variis operationibus chirurgicis, in quibus punctio ali-
qua fit. De suffusionis curatione per chirurgiam
hanc vocem usurpat Galenus, & Cælius Aurelia-
nus Tardar. lib. i. cap. 5. *terebratis*, inquit, *oculis*, quod
Græci *ὀφθαλμίου* vocant. Etiam cum phlyctænæ pun-
guntur, operatio hoc nomen habet, & cum pure in tho-
race collecto ad illud educendum is aperitur, aperiōnem
illam paracentesin Thoracis vocant. Tandem tamen
quodammodo restricta vox videtur ad illam, quæ in hy-
dropicis instituitur evacuandæ aquæ causâ, operationem
& quidem in abdomine potissimum.

III.

Græcos etiam aliquando generaliōri nomine sine re-
spectu ad modum operandi *κένωσις* vocasse ex Cælio Aure-
liano loco modò citato discimus. Barbari scriptores A-
rabum voce Bezel hanc operationem denotant, ut vide-
re est apud Petrum Aponensem Conciliat. diff. 199.

IV.

Sed statim hic in initio, ne frustra dein in ipsâ opera-
tione describenda operam ludamus, quæstio illa deciden-
da est, an Medicus prudens & qui conscientiæ suæ ratio-
nem habeat, possit Paracentesin instituire. Si Autori-
tatibus agere velimus, non desunt sane, clari etiam viri,
qui nunquam institui volunt, tum ex veteri, tum recenti
ævo. Refert Cælius Aurelianus l. 2. Tard. pass. c. ult. &
Evenorem & Erasistratum, ejusque sectatorem Ptolomæ-
um & Thepsalum paracentesin, tanquam incongruam,
reje-

rejecisse, quorum ille sententias & prolixè & egregiè examinat. Nos quoque tum illas tum recentiorum sub incudem revocabimus suo loco, ubi prius cautelæ omnes circa *Ἐγκύκλιον* observandæ propositiæ fuerint. Illis enim observatis omnino cum fructu ægri institui posse censemus, liquebitque tum, rationes illorum non esse magni momenti, metusque inanes.

V.

Videtur vero quodammodo Natura ipsa nobis hanc viam curandi digitis quasi monstrasse, dum in quibusdam disrupta alicubi cure sponte sua aqua effluxit, ægrique ab hydrope fuerunt liberati. Quod & casu aliquando observatum est, per vulnus violentiamque externam partem aliquam disruptam ab aquarum mole ægrum liberalesse. Qualia quidem exempla à non paucis scriptoribus annotata hinc quoque legi merentur. Umbilico aperto bis factum id vidit expertissimus Guil. Fabric. Hildanus Cent. 1. obs. 47. in quadragenario, qui umbilico rupto & aqua effluente sanitati restitutus est. Et cent. 2. observ. 38. in puella quadam annos sedecim nata, quæ cum aquâ gelidâ copiosè haustâ sitim suam explere tentasset, rupto umbilico est sanata. Quibus addi debet quod Forestus de quadam foemina hoc modo curata habet lib. 19. observ. 33. *Vidimus nuper ipsi exemplum hic Lovaniæ, inquit Thomas Fienus tract. 6. Chirurg. cap. 1. in quadam muliere, quæ cum maximè ventrem aquis plenum plurimè annis gestasset, casu cadendo seipsam vulneravit, & aqua tota brevi tempore effluente, convalescit.* In muliere Monspeliensi felicem quoque eventum per noctem soluto umbilico vidit Andr. Laurentius oper. Anat. l. 1. quæst. 10. Alia ex pluribus scriptoribus exempla collegit Schenckius lib. 3. obs. quæ non describo. Sennertus Prax. l. 3. part. vi. sect. 2. c. 3.

p. 740. de nobili quodam Dano notat, illi effluxum feri ex umbilico per integrum annum durasse & hoc modo ab Hydropice incipiente præservatum fuisse. Neque vero per umbilicum tantum, etsi forte frequenter, ita profuere aqua visa est, sed & alibi facta apertione in abdomine, scroto &c. Observavit Clar. Dn. Præses hoc anno in vicini cujusdam Parochi filia hydropica septenniaz quam omnem per foramina duo, altero prope umbilicum, altero in inguine profuxisse, unde manifesto levata & dein feliciter medicamentis idoneis interne adhibitis restituta fuit. Francisc. Rouffetus de part. cæsar. sect. 3. c. 3. p. 44. refert de Bajulo hydropico pridem pro desperato relicto, illi magno istu cultri abdomen à nebulone quodam perforatum fuisse, unde aqua putrida evacuata mali sui remedium invenit.

VI.

Quandoquidem autem jam videmus, aut sponte aut casu aliquo apertione facta, eductaque aqua hydropicos curatos; quid obstat, quo minus per artem quoque talem educationem imitemur? Quamvis enim non semper feliciter res cesserit, & non paucos effluente aqua mortuos legamus, hujus tamen eventus aliaz causaz potuerunt subesse, ut dein pluribus dicemus.

VII.

Et vero jam tum illis exemplis sive inducti, sive confirmati, tum veteres, tum recentiores Medici ad educendam aquam apertionem fecerunt, quamvis non uno et eodem modo. Apud Hippocratem frequens fit ustionis & sectionis in hydropicis ad aquam evacuandam mentio, imprimis lib. de intern. affection. th. 24, 25, 26, 27. Item lib. 2. de morb. §. 69. *scrotum*, inquit, *ubi impletum fuerit, secato*. Laudant Galenus, Ægineta, Albucasis, & ex

& ex Recentioribus longe plurimi, quamvis aliquando plus iusto sint meticulosi, & laudent magis, quam in usum trahant operationem hanc.

VIII.

Cum tamen valde Medicos timidiōres animent felicitium administrationum exempla, illaque non parvo numero apud Scriptores reperiantur, quædam huc referre non pigrabor. Cælius Aurelianus l. c. *Omnēs paracentesī curatos, ut a sunt mori, apertissime mentiuntur: nos enim quosdam vidimus evasisse.* Bruhesius apud Garetium conf. de arthrit. p. 118. hac sectione multos deploratos se vidisse restitui scribit. Decem se novisse, quibus ad salutem celebrata, refert Zacutus Lusitanus Med. Princip. histor. l. 2. hist. 117. Johannes Scultetus aperuit abdomen Nobilis Virginis, quæ Ascite, Anasarca & Tympanite laboravit & annum unum & dimidium integerrime vixit, quamvis dein recidivam passa, uti ipse testatur in Armentario Chirurgico p. 152. Tale exemplum Ascitis per Paracentesin in umbilico factam curati etiam habet Riverius in observat. communicat. à Samuele Formio observ. 4. Andreas Laurentius lib. 1. q. 16. oper. Anat. refert, rusticum quendam tali compunctione perfecte sanatum fuisse. Schenckius lib. 3. Observ. Medicin. à Gabelchovero habet quoque historiam de quodam Tornatore hydroptico, qui hoc modo semel curatus, singulis dein annis, parum materiæ facta apertione evacuavit.

VIII.

Neque vero est, quod quis sibi periculum ab ipsa operatione metuat, quæ per se nullo modo lethalis est. A sectione abdominis, in quo frequenter aqua colligitur, valde sibi metuunt nonnulli, at frustra. Nullæ enim ibi partes sunt, quibus læsis magna possint oriri incommoda.

Adcst

Adest cutis, adest pinguedo & caro musculosa, quæ facile iterum possunt coalescere. Nec de peritonæo dubitandi ratio est, ceu pridem egregie ostendit Frane. Roussetus de part. cæsar. sect. 3. c. 3. Quin videmus quotidie vulnera abdominis, etiam quæ in ipsam cavitatem penetrant, sanari. Nullum etiam periculum, ne à punctione internæ & reconditæ in abdomine partes lædantur; venter enim aquæ copia est distentus, unde partes illæ à ferro non possunt attingi.

IX.

His ita discussis nova oritur quæstio, an in omnibus hydropicis sit instituenda operatio. Notum autem est Hydropis tres vulgo proponi species: Anasarcan scilicet seu Leucophlegmatiam, Tympaniten & Asciten, quarum differentiæ ab aliis sufficienter traditæ sunt. Cum autem in Anasarca pituitosus & albus humor per universum corpus per carnem & sub cute dispersus sit, unde mollis laxisque tumor est digiti que præsentis vestigium in eo remanet, non video quidem quid in ea paracentesis juvare possit, soletque medicamentis etiam vulgo curari. In Tympanite, in qua venter ita à flatibus extenditur, ut percussus tympani instar sonum edat, non etiam ad flatum educendos poterit adhiberi: cum tamen in nullo non tympanitico serum quoque mixtum flatibus observetur, nunc majori tamen, nunc minori copia, sitque sæpe mixtus hydrops locum aliquando ad aquam educendam habere poterit hæc operatio. Imprimis tamen tum adhiberi solet, cum aqua in parte collecta partem distendit, idque tum alibi, tum in abdomine frequentius fit, quod quia instar urris repletur, affectus ipse Ascites dicitur.

X. Equi-

X.

Equidem cum venter Asciticis tumet, plerumque & aliæ partes à seo tument, pedes imprimis: aliquando tamen, dum venter non tumet, aliæ partes intumuisse observantur, vocanturque hydropes particulares Artuum, Scroti, Gutturis, Capitis &c. de quibus Zvingerus in Epist. ad Fabr. Hildanum Cent. 2. observ. 56. & Carolus Piso in lib. de colluvie serosa, cum alibi, tum observ. 146. Montan. Conf. 263.

XI.

In Asciticis itidem collectio aquæ in abdomine non uno modo sese habet. Aliquando Umbilicus extenditur & tanquam sacculus prominere, ibique aqua potissimum hæret. Aliquando ex Abdomine in scrotum viam sibi facit aqua & illud potissimum in maximum tumorem elevat. Plerumque inter Peritonæum & intestina in ipsa abdominis cavitate colligitur ille humor, totumque abdomen distendit æqualiter. Est tamen observatum, etiam æquam inter peritonæum & Abdominis musculos vel in duplicatura peritonæi fuisse contentam. Prius jam tum Arabibus Medicis notatum, aliisque post eos, duce experientia. Posterioris valde notabile exemplum habet Job van Meckeren in observ. Medico-Chirurgicis Belgice editis cap. 49. ubi quidem id quod res erat, solus suspicatus fuerat doctissimus Walæus, sectio autem post mortem foeminae facta confirmavit.

XII.

Illud quoque egregie observatum est, aliquando aquam alicubi in corpore hærentem, non libere fluxisse, sed vesiculis inclusam fuisse, in ipso etiam abdomine: de quo hydropes vesiculari, ut ita dicam, veterum sententiarumque observationes extant, magnam partem Schenkio jam tum collectæ, quibus adde eam, quæ est

B

inter

inter Riverio communicatas ultima. Et in animalibus quidem, porcis imprimis, facile est experimentum capere, ubi ad omentum, in omento, ad mesenterium, ad hepaticam innumeræ sæpe vesiculæ observantur. In illa quam superiori mense instituit Clarissimus Dn. Præses corporis muliebris sectione vidimus prope uterum vesperilionum alis adhærentes vesiculas duas, utrinque unam, limpidosero plenas. Verum hæ vesiculæ etiam non semper in cavitate abdominis continentur, nam de quodam viro scribit Solenander sect. 5. Consil. 15. Naturam fecisse foramen in latere sinistro sub splene, intra peritonæum & musculos ventris, ex quo plures quam ducentæ vesiculæ aquâ putridâ plenæ fuerunt extractæ.

XIII.

Aliquando non in abdominis cavitate tantum, sed etiam in ventriculo & intestinis materia illa aquosa continetur, uti observatum est corpore dissecto, à Johanne Costero Affect. human. corp. theor. & prax. tab. LXIII. Quamvis non videatur commode ibi diu detineri posse materia, sed mox excerni debere, unde non per alvum tantum feliciter excernitur aqua, sed per vomitum quoque, notante Marc. Donato hist. Med. mirab. l. 4. c. 21.

XIV.

In tanta autem varietate hydropis non idem à Paracentesi levamen expectari posse, facile patet, priusque diligenter Medico considerandum esse, cujus naturæ sit hydrophis. Scarificationes sectionesque ad educendam aquam cautè adhibitas, dudum probavit experientia. Alex. Benedictus l. 15. c. 4. de cur. morb. scribit se in Græcia felici experimento vidisse, novacula concisam undique circum apteque resistasse humorem. De scroti sectione jam ab Hippocratis avaro res notissima, diciturque mox pleni-

plenus. In aliis particularibus hydropibus idem usū ve-
nit. Ioh. Bapt. Montanus consil. 203. *Vidi, inquit, puellam
hydropicam in gutture tantum, ut tumor longissime depen-
deret, quam curavi per incisionem.* De Hydrocephali
curatione per chirurgiam suis in locis videri possunt Pra-
ctici.

XV.

In vesiculari hydrope sectio prodesse etiam potest,
ut exempla docent, requiritur vero tum foramen tam
magnum, ut exire ipsæ vesiculæ possint. Ubi inter peri-
tonæum & musculos abdominis aqua collecta est, aut in
peritonæi duplicatura hæret, itidem apertio locum habet,
quam in exemplo supra memorato urgebat Cl. Walæus.

XVI.

Verum nos jam illis relictis videbimus, quomodo
aqua in abdominis cavitate contenta ibique fluctuans e-
vacuari possit chirurgica ope. Quod in Ascite contingit,
quæ & frequentissima est, & ob symptomatum vehemen-
tiam curationem etiam extraordinariam desiderat.

XVII.

Ubi jam quæritur, quo in loco abdominis instituenda,
cum illius latitudo notabilis sit. Imo videtur per inferio-
res partes corporis apertas abdomen quoque posse exhau-
riri, ut per pedes, per scrotum. Non est quidem mani-
festa via, qua ex cavitate abdominis ad pedes aqua fera-
tur, sed fieri res ipsa docet. Ex illa tamen in scrotum per
processus peritonæi via est, facile aquæ patens, si non a-
lia etiam occultior. Et ita aliquando per scrotum sponte
citra artis operam ex abdomine evacuatur aqua, ut nota-
runt Fabric. Hildanus l. 1. observ. 48. Zacutus Lusitanus
Prax. Admir. l. 2. obs. 52. Et in Jurium Doctore l. 3. obs.
p. 610. vidit Platerus, qui hæc verba subjungit: *Quod*

& Paracetesin in scroto, ubi tutius fieret, plurimum profuturum in illis, qui curari possunt, nobis ostendit. Sæpiusque se hoc remedium expertum scribit Alex. Massaria Pr. l. 3. c. 16. præcipuè in quodam Mercatore Vicentia, cui tumescens insigniter scroto, illoque perforato aqua tribus diebus ducta est pondo librarum 45. ex quo & totus venter detumuit & æger pristinam sanitatem recuperavit. Suam quoque hinc experientiam allegat Nobilissimus Rolfinceus in Epit. Meth. cogn. & cur. morb. part. l. 3. c. 9.

XIIX.

In ipso abdomine multi commodiorem nullum locum censent ipso umbilico, alii parva ab eo distantia perforationem instituunt. Utriusque quidem loci jam tum meminit Celsus l. 7. c. 15. Dictum autem supra est, Naturam ipsam monstrare quodammodo, apertionem esse faciendam in umbilico, dum non tantum frequenter umbilicum in amplam & pellucidam vesiculam distendit, sed etiam dirumpit & per eum aquam emittit. Quibus exemplis addi potest obs. 47. cent. 1. apud Fabric. Hildanum. Naturam igitur monstrantem secuti Medici celeberrimi vesiculam illam aperiunt, aquamque emittunt, ut videre est in observationibus Plateri l. 3. p. 611. 612. Duo celebres Anatomici & Chirurghi Galli Andreas Laurentius l. 1. quæst. 26. & Barthol. Cabrolus observ. 25. pro apertione umbilici acriter pugnant, pluribus argumentis: ne de Sanctorio, Sennerto, aliisque nunc dicam.

XIX.

Quemadmodum autem prudenter hic Autores attendunt vias à natura quodammodo monstratas, ita omnino concedo, posse aliquando scroto, ubi materia
co.

eo decumbit, magno fructu aperiri, imo debere etiam.
Sic de umbilico quoque se res habet, qui omnino perforandus, ubi ita laxatus est tumetque, ut ab exteriori parte ad internam cavitatem & aquam ipsam tenuissima tantum cutis intercedat; quam vel ipso tactu digiti que compressione ac tenuitate deprehendere licet. Citra autem hunc tumorem non suaserim, ut in umbilico fiat apertio, quod & facit Samuel Formius Chirurgus Monspelienfis in obs. communic. Riverio obs. 4. ubi & umbilici prominentiam arte procurari posse scribit, ad motis frequenter umbilico cucurbitulis siccis cum multa flamma, tum etiam fomentis emollientibus & attrahentibus, quæ intra octiduum plus minus usurpata prominentiam faciunt, in qua apertio administrari potest; cujus sententiæ etiam est Sanctorius Comm. in 1. Fen. Avicenn. tr. 4. c. 1. t. 12. quæst. 71 & instrumenta in hanc rem proponit. Dubito autem an necesse sit, & arbitror potius cum Aquapendente l. de Chirurg. Oper. p. 254. ubi laxitas umbilici non apparet, non esse perforandum, ne forte ejus rugositas magis explicetur, dilateturque quam par sit. Alias rationes, ut & ad contraria argumenta responsiones vide apud Ficaum l. c. c. 3.

XX.

Videamus igitur porro, ubi penes Medicum determinatio est, nec scrotum in immensum tumet, umbilicus autem retractus est; quis in abdomine locus eligi debeat. Celsus l. c. scribit: *sub umbilico, fere quatuor interpositis digitis à sinistra parte*, ita nempe, ut foramen quatuor digitis infra umbilicum sit, & quatuor ab umbilico versus latus distet, id quod in hodierna quoque praxi observatur. Quam vis non omnes inter se convenient, cur ita fiat, & cur tutius hoc in loco quam in alio. Vide A:

quæpendentem l. c. p. 254. qui in rectis musculis ad evi-
tanda vasa institui non vult, nec metuit, ne coalitus in
parte non carnosa impediatur, cum vulnus leve sit, vi-
deamusque venam quoque, quæ nervosa membranosa-
que est, coalescere. Effluere autem sectione hoc loco
factâ aqua commode potest. In latere eligendo curio-
si nonnulli, an ab hepate, an à liene ortum habeat hy-
drops, attendunt, quod tamen ad eductionem aquæ nil
facere videtur.

XXI.


Considerato loco, quaritur jam, quo tempore mor-
bi sit instituenda sectio. Quatuor esse tempora morbo-
rum notum est: Prîncipium scilicet, Augmentum, Sta-
tum & Declinationem. Nonnulli hanc operationem
in statu tantum morbi, & quando jam omnia desperata
esse incipiunt, instituunt, & tanto serius vulgo adhibe-
tur, quanto magis reformidatur. In quo forte non levis
error committitur. Equidem ego non in principio sta-
tim ad eam devenire velim, cum horridiusculum sit re-
medium nec periculo careat, extremis autem morbis ex-
trema demum remedia conveniant. Interim si diu ni-
mis expectes, infructuosum dein erit remedium. Nam
aqua illa, quæ in abdomine est collecta, quo diutius ibi
continetur, eo corrumpitur & ipsa magis & corrumpit
partes, corruptis autem illis non potest non sequi mors,
etiamsi aqua ex abdomine sit educta. Ostendit enim se-
ctio demortuorum, quanta in visceribus labes, ubi in-
veteratus hydrops, ad quam non parum forte confert a-
qua ibi restagnans. Deinde ægri ex longitudine morbi
valde debilitantur, pereuntque vires, ad quas in omni
operatione respectum habere Medicus debet. Non de-
sunt quidem exempla inveterati etiam hydropis aqua e-
ducta

ducta curati, quæ tamen paucissima sunt, quamvis nos
audaciores paullulum, volente præsertim ægro, faciant.
Potest etiam in desperatis aliquando solatii causa sectio
locum habere, ut tranquillius moriantur, quale exem-
plum habet Posthicus apud Schenkium p. 499. foeminae,
quæ sexto à sectione die instar lucernæ, oleo deficiente,
est exstincta. Et Nicolaus Magnus clarissimus Vir apud
Maur. Cordæum comm. 5. ad lib. I. Hipp. de morb. mul.
quamvis migrandum è vivis sibi præsentiret, tamen per-
fodi se ad umbilicum exoptavit, ne execrari & male pre-
cari cogereretur ferè sibi ipsi, per angustias scilicet & acer-
bitatem doloris sævissimi. Verum ut ad hanc prudens
Medicus non temere accedet, ita si adigatur quasi, pro-
gnostico sese maniet. Quod, ubi de vulneribus agit
Celsus, elegantissime scripsit l. 5. c. 26. Id quoque hîc di-
ctum nobis putabimus: *Est prudentis hominis primo eum
qui servari non potest, non attingere, nec subire speciem
ejus, ut occisi, quem fors ipsius interemit. Deinde, ubi gra-
vis metus sine certa tamen desperatione est, indicare necessa-
riis periclitantis, in difficili spem esse, ne si victa ars malo
fuerit, vel ignorasse vel fefellisse videatur.* De illa vero
feliciorem nobis eventum promittere possumus, quæ au-
gescente morbo instituitur, viribus ægri adhuc salvis, nec
visceribus, abdominis imprimis, corruptis. Hoc etiam
suadet Hippocrates sect. 7. lib. 6. Epidem. §. 62. Ἰδαίωδες
θᾶσσον τὰ μὲν, φθίνορας δὲ ἄλλα ἔσται, i. e. *hydropicos statim
secare oportet, empyicos statim urere.* Illi etiam viscera
sana adhuc habent, & per hanc sectionem feliciter curari
possunt, qui subito in hydropem inciderunt, quod con-
tingere per febres non infrequenter solet, ubi nimium
potum valde sitientes ingurgitant. Loquor autem de
febris acutis: alia enim res est de hydropem, qui febres
diuturnas excipit.

XXII. Iam

XXII.

Jam instrumenta quoque ad hanc operationem idonea consideranda sunt. Veteres scalpello utebantur & cannula. Et scalpello dissecabant cutem, musculos & peritonæum: Dein facto foramini immittebant cannulam aliquam terfam, alatum, à lateribus perforatam, ut intrare posset in cannulam aqua & per eam exire, relinquebantq; in vulnere illā cannulam. Ante sectionem quidem cutem adurebant cauterio a, Stuali, ut Celsus l. 7. c. 15. notat, alii potentialli, quod probat Fienus l. c. c. 4. De toto autem negotio & quale scalpellum adhibendum optime Aquapendens, qui videri potest. Neque enim nobis illa placent, sed potius cannula perforata circa extremitatem acuminatam acuspitem habens, & ad latera foramina, in Belgio hodie usitata, cujus figuram integra magnitudine hic apponimus.



- AAA Cannula est, ad acumen vsque perforata, in qua
- B est foramen superius, in quod
- C stylus exactè cannulæ capacitati respondens, immittitur.
- D sunt foramina lateralia, per quæ liquor in cannulam intrat.

XXIII.

Galenus lib. 14. meth. med. c. 13. docet aquam per chirurgiam educi & in hydrocele & in hydrope ascite, *in hydrocele quidem*, inquit, *immissio siphone*, *in hydropibus vero adhibita punctione*, quam *paracentesin* vocant, quem locum

reci-

citans Zacutus Lusitanus Prax. histor. l. 8. c. 15. p. 724. ita pergit. *Sicut in ramice aqua seu hernia aquosa siphone ab seroto educitur aqua, sic etiam ab hydropicorum ventre eodem instrumento facile exhauritur. Est autem siphoncus argentea oblonga palmi magnitudine, intus cava, in cuspidem perforata, qua, sensim in ventrem immisa aquam emungit, quo extracto, nec foraminis vestigium postea in cute apparet, nam concidentibus parietibus foraminis cutis sponte sua occluditur.* Qui primus hoc instrumentum videtur habuisse cognitum & descripsisse, an autem inventor fuerit, non dixerim. Nam Paulus Barbette in Chirurg. Belgice edita l. 1. c. 15. primo allatum hoc instrumentum à Jacobo Blockio ex Italia scribit. Et fortè is accepit Patavii à Sanctorio de Sanctoriis, quem tali instrumento usum in MSto quodam libro legit Clarissimus Dn. Præses. Quicquid autem sit de Inventore, Zacutus non meminit foraminum ad latera, quæ tamen necessaria videntur. Barbettus, cum paullo incommodior videretur perforatio, quam necesse est hoc instrumento fieri, cuspidem instrumenti non rotundam facit, sed utrinque ad latera acutam, instar Lancettæ dictæ, ut citius pertundat. Job van Meckeren tamen in obs. c. 47. qui post Barbettum accuratè hoc instrumentum descripsit, priorem formam illi relinquit. Et Barbettus quidem materiam sumit chalybem, alii argentum sed durum & renitens, ne super tensum abdomen inter operandum curvetur. Apud Scultetum Armament. Chirurg. tab. XII. f. 17. depingitur etiam instrumentum ex cannula alata & acutricuspide constans ad hydropicorum umbilicum & in hernia aquosa serorum perforandum, quod tamen à nostro multum differt. Vid. Eund. tab. xxxix. p. 151.

XXIV.

Modus operandi cum hoc instrumento est, ut sensim eo perforetur abdomen parte, qua dictum est supra. Ubi jam penetratum est usque in cavum, quod peritum in talibus artificem non temere latere potest, aqua insinuans se in foramina, quæ sunt in utroque cuspidis latere canalem intrat & prompte effluit. Possumus aquæ nimium effluxum inhibere stylo in cannulam immisso, coque extracto iterum fluere sinere, dein tamen extrahitur cannula. Et si quando libet iterare operationem, aut in prius factum foramen immittitur instrumentum, aut aliud fit, loco alio, qui tum commodior visus fuerit.

XXV.

Foramen sua sponte sæpe clauditur, ut supra ex Zacuto audivimus, aut claudi facile potest linteis siccis conceptis & emplastro diapalma superimpositis. Parvum enim admodum est, scribitque I c. Barbettus Chirurgum Blockium hoc instrumento tam subtiliter seroto perforato aquam eduxisse, ut nullum vestigium apparuerit.

XXVI.

Patet autem jam facile ex his instrumenti hujus bonitas, & quam multa hoc operandi modo possint præcaveri, quæ alias periculum minantur. Tria pericula in Paracentesi esse rectè scribit Fienus c. 2. primum ne post sectionem sequatur gangræna: secundum in exitu aquæ: tertium in molestia aquæ retinendæ. At vero si nostro modo opereris, à primo & secundo nullum plane periculum est, neque enim ad tam parvum vulnus sequitur gangræna, aquæ autem fluxum ita moderari hoc instrumento licet, ut ne guttula quidem invitis nobis excidat.

XXVII.

XXVII.

Non est enim simul & semel omnis aqua educenda, sed per intervalla; non horarum tantum, sed dierum quoque, habita imprimis virium ratione. Interim æger corroborante ex Conserv. Rosar. Absinth. Diarrhod. Abb. Aqv. Cinnam. &c. refocillandus est, omniaque adhibenda, quæ ratione causarum habita viscerum vitis medentur, & passim apud Præcticos in curatione hydropis annotantur.

XXVIII.

De emissione aquæ per intervalla in omnium ore est. Hippocratis Aph. 27. sect. 6. *Quicumque Emphyici aut Hydropici uruntur aut secantur, si pus aut aqua univèrsim effluxerint, omnino moriuntur.* Cujus eventus Interpretes varias afferunt rationes, non omnes æque probabiles, experientia interim veritatem Aphorismi comprobante. Non potest quidem negari, aliquando eos, quibus simul aut paucissimis intervallis effluxit omnis aqua, nihilominus supervixisse & restitutos esse. Ita retulit Clarissimus Dn. Præses celeberrimum Chirur- gum P. Marchettum secuisse hydropicum, ei que parva copia eduxisse aquam, foramine bene obturato, quo abeunte reserat æger foramen, varieque se inclinando aquam omnem emittit, gloriatus postero die de compendio curationis, adspirante felici successu. Quo pertinet Obs. 15. Cabrolii. Cælius quoque Aurelianus l. 5. tard. c. 1. *si virus pariansur, semel atque eodem tempore omnem auferendam* scribit. De Nursinis Operatoribus testatur Aquapendens p. 256. eos audaces nimis universam aquam aut paullo minus prima vice evacuare. Interim, cum paulatina illaeductio non noceat, in vitæ autem discrimina manifestum præcipitare possit altera,

tutiorem utique viam eligere debemus. Neque enim placet Aſclepiadis illud conſilium apud Cælium l. i. c. 14. Si forte nimia ægris fuerit facta humoris detractio, ut iterum calida aqua repleatur.

XXIX.

Sed qua quantitate & quibus intervallis aqua fit evacuanda, porro quæritur. Præctici communiter ſtatuant mane & vesp̄eri eſſe evacuandam, & primo quidem non ultra duas libras, poſtridie paulo plus, & ſic deinceps. Thomas Fienus tamen hunc modum rejicit, & dicit primo in magna copia eſſe educendam & quidem ad medietatem uſque vel tertiam partem, donec venter notabiliter detumuerit, poſtridie iterum quantitatem octo librarum & deinceps minus ac minus ac paulatim educendam. Verum aquæ emittendæ quantitatem nos neque diebus neque vicibus metiri poſſumus, ſed pro cuiusque virium ratione humor educendus eſt.

XXX.

Interim imprimis opera danda eſt, ut aqua omnis educatur, quod & compreſſione ſubjectarum partium & congrue ægrotante collocato competenti ſchemate fieri poteſt. Aliquando quidem impoſſibile id eſt, cum non eodem modo ſe habeat humor. Barbettus in Praxi l. 4. c. 5. refert ſe ſecto hydropico vidiffe in cavo abdominis primo lympham tenuem & fluidam, deinde gelatinam, tertio concretam, tandem duram & ſteatomaticam. Jam poſteriores illæ non poſſunt educi, & hinc ſæpe recidivæ fiunt.

XXXI.

Poteramus hic deſinere, ſed, uti ſupra promiſimus, adhuc rationes, quibus commoti nonnulli *απαλάττω* plane damnant, nec unquam inſtituendam cenſent.

sent, examinabimus. Dicunt primo esse eam contra-
methodum medendi, in omni enim curatione morbo-
rum respiciendum esse ad causas, ut tollamus, quæ nisi
tollantur, morbum non curari. Verum etiam si conce-
datur per hanc apertionem causam ipsam non tolli, ta-
men adhiberi poterit, ne aqua in abdomine restitans
gravia mala inducat: ideoque etsi ipsa sanationem non
procuret, viam tamen ad eam sternit. Et sæpe non
plus præstant illi, qui Medicamentis hydragogis aquam
hydropicorum evacuant: & vero utique ex medendi
methodo etiam indicatur ablatio aquæ illius, quæ jam
genita est & in cavitate corporis contenta molestiam fa-
cit, ad quam tollendam nil facit, si maximè, ne nova
generetur, diligentissimè cures.

XXXII.

Deinde dicunt frustra hanc operationem institui,
quod aqua licet subducta nova mox generetur, venter-
que iterum impleatur. Et sunt Recidivæ graviores ple-
rumque, & in hydrope ex Hipp. in Coacis sententia de-
sperata. At vero tum in hydrope etiam nec purgan-
dum, nec aqua per urinam educenda foret, cum aqua li-
cet subducta frequentissimæ sint recidivæ. Fassi jam tum
ipsi supra sumus, sæpe aliquid relinqui in abdomine,
quod recidivam faciat, quod educi non potest, nec in
omnibus hydropicis illa operatio locum habet, debent
que tum alia remedia adhiberi, quæ materiam præpa-
rent, vel alio quovis modo recidivam impediant. Neq;
vero recidivantes hydropici omnes pereunt, fuitque
nonnullis aqua biseducta, qui supervixerunt. Gabel-
choverus apud Schenckium p. 498. exemplum cujus-
dam habet, cui semel per paracentesineducta aqua, dein
nova quidem semper confluit saburra quotannis, sed

longe minori copia, quæ eodem modo educta. Sua-
dent tum nonnulli, ut foramen linquatur apertum,
quomodo fonticulum in seroto reliquit Zæetus Pr. Ad-
mir. l. 2. obs. 52. Et multum potest hic bona diæta, sicut
per malam redire facillime potest; ut docent exempla
annotata à Possio & Andr. Laurentio apud Schenckii-
um.

XXXIII.

Id vero magis urgetur adhuc à nonnullis, quod
hanc operationem administratam mors exceperit, ita ut
cum aqua simul educta fuerit anima. Id quod negari
non potest, habetque exempla plurima Schenckius,
Sennertus l. 3. p. 6. sect. 2. c. 3. Panarolus Pentec. 2. obs.
17. Guarinonius conf. 474. Verum tamen non omnes
mori supra manifestum feci, exemplis felicibus adductis.
Moriuntur autem multi non à sectione, sed corruptis
visceribus, aut quia jam tum debiles nimis, ut ipse Pa-
narolus cogitur fateri. Dum enim soli fere desperati
huic sectioni se subiciunt, plurimos sectos mori necesse
est. Non tamen idcirco operatio ipsa damnanda.

XXXIV.

Reliqua quæ afferunt argumenta non tangunt nisi
quædam circa operandi modum, & symptomata ali-
quando subsequentia. Facile autem esset ostendere, si
quis instrumentum à nobis propositum illamque opera-
tionem sequatur, aut nihil aut parum admodum esse
periculi.

XXXV.

Caute tamen omnino etiam cum hoc instrumento
pro-

procedendum est, & imprimis diligenter cavendum, ne
interanea lædantur, quod quidem propter aquæ inter-
positæ copiam tam facile non contingit, fieri tamen
potest. In scroto perforando facile testiculus læditur
nisi diligenter attendas, & ab illa læsione spuriam car-
nem natam existimat Meckeren obs. c. 48. Verum ego
nunc desino, dissertationemque hanc claudio verbis Cæ-
lii Aureliani sapius citati l. 2. tard. pass. c. 13. *Est impro-
prium, uti ea, quæ incongrue adhibita nocere
demonstrentur, etiam cum necessaria fuerint
visa, prohibenda existimen-
tur.*

F I N I S



procedendum est. Et in primis diligenter cavendum ne
interius libere, quod pignus dicitur, in
pignus capere non liceat. Quod tamen
pignus in rebus immobilibus haberi
potest. In rebus periculis facillime haberi
non debet. Et ab illa ratione ipsam car-
nem non debet excipere. Quod est. Verum ego
non habeo de distinctione. Includendo verba. Et
in distinctione. In rebus dicitur. Et in rebus
pignus. Ut et in rebus adhibita nocere
demonstratur. Etiam cum necessitas
rebus prohibenda existimatur.

T I N I S



ULB Halle

3

003 358 771



Sb.

VD17





Farbkarte #13

B.I.G.

MEDICA
ALIS

1670, 2 2
17

ENTESI

ROPE

M
ENTE
RITATE *AMPLIS.*
NCLVTA *ACADE.*
ORDINIS
DE
ISSIMO

MEIBOMIO

PROF. PVBL. FA-
DIE DECANO SPE.
ARCHIATRO
CO
OMOTORE AC HO.
VENERANDO
NTIA
ONORES ATQVE PRIVILE:
E CONSEQUENDI
POSITIONI SVBICIT
JULE O
NRADUS AXT
ÜRINGUS
MERIDIANIS
I DECEMB.

A DI,
A. CIO ISC LXX.

M. J. S. J.